



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Angeli Cvstodis Ad Hvgonem Grotivm Svper Nvpero Eivs  
Carcere Paræneticon**

**Hemelaers, Jan**

**Antverpiae, 1621**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70494)



15

X

III

Z


Ph. 6025

---

6025  
III

6025  
III  
2





ANGELI CVSTODIS

A D

HVGONEM GROTIVM

S V P E R

NVPERO EIVS CARCERE

P A R Æ N E T I C O N

exceptum & publicatum

à IOANNE HEMELARIO Hagiensi  
Canonico Cath. Eccles. Antwerp.



A N T V E R P I A E,

E X O F F I C I N A P L A N T I N I A N A

Apud Balthasarem Moretum, & Viduam

Ioannis Moreti, & Io. Meursium.

M. D C. X X I.

ANGELI CUSTODIS

ALDONEM GROTTVM

ALDONEM GROTTVM

ALDONEM GROTTVM

ALDONEM GROTTVM

ALDONEM GROTTVM

ALDONEM GROTTVM

AN TVE RTAE

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

EX OFFICINA PIANI MANA

# HVGONI GROTI

## I. C.



VM nuper ad te, HVCO  
GROTI (quando miro quo-  
dam commento ceu strata-  
gemate, ipse paullo antè cu-  
stodia damnas, per excubias  
& custodias inimicas, in cu-  
stodiâ viatoriâ, ab ipsis custodiis tuis, sed igna-  
ris, ex hostili custodiâ & pœnali carcere elatus  
feliciter euasisti, & iam liber Antuerpiam hanc  
nostram applicuisti) visendi & congratulandi  
causâ accessissem, & pro re natâ, & sermonis,  
vt sit, vario cursu, tu Scazontes tuos versus in  
solatium tibi causseq; & carceris socio Hoger-  
betio scriptos recitasses, eorumq; etiam copiam  
fecisses; incesit me mox lubentia super hoc car-  
ceris tui atque felicitis ex eo effugij argumento,  
simili carminis genere aliquid ludendi, quod ele-  
gantissimis tuis versibus si non lepore, saltem  
materiâ responderet. Verum cum in id inten-  
denti cogitationem mihi, & iam stylum in ma-  
nus sumentis inuentiuncula crescerent ac se dif-  
unde-



4  
funderent; & Scaxontis illa claudicatio concinna, lasso facile penultima sedis desultorio illo Iambi pede, difficulter admodum mihi procederet, & in plusculos se passus seu saltus producere recusaret; verti modos, & assueti magis, ut sic dicam, tripudij Iambos, ut minus fatigandos in scenam produxi. Hic cursum, ut videbis, longiusculum producere ausi sunt, vnus quem pro tota orchestrâ & caueâ sibi spectatorem auditoremq; destinârant, seu paucorum certè aliorum oculis & auribus, ut se probarent animatum & benevolentia stimulis excitati, quae tibia sua velut modos, ad numeros opportunè & largiter adhibebat. Qui quidem seu auditor seu spectator vel vnus, vel saltem primus, cum tunc esses; non potui non hunc Lusum arbitrij & iuris tui facere. Habebis igitur hunc super  
VARIO CARCERVM GENERE conceptum, non ingenij aut doctrinae, quae mihi non arrego, sed voluntatis in rem & salutem tuam saltem nostrae propensioris foetum; eoq; manifestior, quò diffusior hic sermo est. Amor enim, ut nosti, si minus esse disertus possit, multiloquio tamen gaudet. Quem etiam vel ex hoc probare possis, quia eo maximè tempore alloquium hoc produxit, quando nostri Instituti homines, qui  
Eccle-

5

Ecclesie functionibus adscripti sumus, plures  
& statae occupationes serieq; differre & deti-  
nere ferè totos solent: Hebdomada quippe illius  
ferijs minimè feriatis, quam, ob maxima in nos  
Christianos illo anni tempore collata calitùs  
beneficia & charismata, MAIOREM, siue BO-  
NAM, siue SANCTAM priscâ nuncupatione  
indigitamus. Sed & cura atque amoris in te  
Angeli Custodis tui peculiariter hîc tesseram  
agnosces, quo & ipsum accensum, meo Custodi  
hac vt describenda mihi suggereret (instanta-  
neo illo scilicet Angelici sermonis modo, quo al-  
ter alteri sua mentis conceptus pandere solet)  
auctorem fuisse vix dubitandum putem. Neque  
exim ego (qui ad quattuor vestros, viginti plus  
minus versus pangere paraueram, in eo scri-  
ptionis & metri genere vix versatus, & si ali-  
quando fuisset, arefactâ iam pridem per desue-  
tudinem venâ, eorumq; argumentum & velut  
οὐρογαρίαν iam cum Casperio Geuartio, qui  
mecum ad te viserat, candidissimo & elegan-  
tissimo illo amico communicaueram) tam sat  
multos, humilem licet rusticumq; & simpli-  
cem, ac minimè cothurnatum sermonem, ad  
modulum & morem nempe ac tenuitatem cen-  
sus hîc & alibi mei, crescente sub ipso stylo &

A 3 manu

6  
manu materia, & non grauata in ordines &  
numeros suos se aptante, effudissem, nisi omnis  
Phœbi aut Euterpes loco, Angeli boni suggestio  
materiem & verba scribenti ferè ex tempore  
suppeditasset. Leges itaque, sed (quod paciscor,  
& serio atque amice peto) qualis causas pro  
tribunali definiturus soles, seposito inolita tan-  
tisper consuetudinis, quam Batavia patria nunc  
habet, & institutionis à puero tibi infusa affectu,  
vtramq; scilicet aurem vacuam & non præoc-  
cupatam adferens agnoscende veritati. Tum  
& hocce, rogem, schemate tibi proposito hæc  
legere non detrectabis, atque si totidem verbis  
Angelum tuum diuinâ sed visibili tibi specie  
iuxta adstantem, amantissimum velut peda-  
gogum, caligantis (quod in re Fidei arduâ, &  
supra humanum captum ascendente necesse est)  
iudicij & intellectus moderatorem, compellan-  
tem & instantem tibi coram oculis cernere,  
auribus blando illo celestis oris sono illabentem  
audire contingeret. Que quidem Angelica visi-  
tationis familiaritas vt multis è Sanctorum nu-  
mero contigit, ita peculiariter & frequenter  
nobili virgini & martyri Cecilia, itemq; san-  
ctæ Franciscæ viduæ, Romanis, & nostræ, pas-  
sionibus Christi Domini per triginta tres annos  
confor-

conformatissima virgini & populari S. Iydydy Sciedamensi; quas & mentis puritas, & mundi solidus contemptus, & flagrans amor Dei hacce Angelica visionis familiaritate olim & nuper dignas fecit. Atque utinam ea vis Angelica huius Paranesios sit, ut (quod est Oratore tanto dignum) non appositè tantum, sed efficaciter etiam ad persuadendum & dixisse, & auscultatus esse possit. Faxit Deus; teq; redudem Ecclesia sua, & in eam nobis clementer sistat, Dominus ille Redemptor tuus & meus; qui & ex omnibus carcerum periculis animam tuam liberasse videtur, ut tute iuris iam tandem tui factus, & voluntatem sub eius lege, sponsaq; eius Ecclesie, & intellectum sub Regulam tradita & propagata celo Orthodoxae Catholicae Fidei, & memoriam sub acceptorum agnitione & gratiam beneficiorum, ceu gratitudinis praescripto debitoq; iugo, non grauatè aut valde restitans, ideoq; affluentiore merito, ut tua iam spontis existens, liberè captiuares: quiq; idem Dominus ac Saluator noster hodierno magno illo ac solempni praeceteris die, & hac eadem quàm hac maxime scribebamus horam (sub auroram Paschalis nempe diei) contracto inferni carcere, captiuamq; ductam captiuitate,

A 4. trium-

triumpho nobili victor ad superos gloriosè est  
reuectus. Sic per illa vt paullo antè humiliati  
& indignissima passi, ita hac horâ clarificati &  
supra modum exaltati Domini gloriosa merita  
ex animo vouebam, spei bonæ plenus, & ferè  
securus de euentu: quando & eodem hoc  
magno publici Christianorum triumpho atque  
gaudij die te materni carcer vteri in liberam  
hanc lucem (quod recens intellexi) feliciter pro-  
duxerit: vt tam laureatâ nimirum festâq; so-  
lemnitate (cui nec Alexandri Macedonis nata-  
lis geminâ Philippi parentis victoriâ illustris  
componi vel per vmbra potest) mundi huius  
stadium ingressus, nec tu de indulgentissimi  
agonotheta palmis seu brauio desperares, neque  
nos, qui prolixam in ceteris diuinæ bonitatis er-  
ga te liberalitatem admiramur, in eo quodd  
VNVM est NECESSARIUM, aut tuam volun-  
tatem desiderandam, aut Dei manum abbre-  
uiandam metueremus. Cùm enim solemnè in-  
augurandi Principis ingressu, publicâq; letitiis  
die, exulum omnium, quotcumq; currum eius  
affectantur, vita, libertas, iusq; patriæ ac fami-  
liæ in integrum restitui soleant; quis non confi-  
dat, hunc tam singularis letitiæ atque indul-  
gentissimæ beneficentiæ celestis Regis cemi-  
tem,

9  
tem, ad triumphantis ingressum se sistentem,  
imò ab ipso eodem productum, triumphalis  
participatione priuilegij priuatum iri vix pos-  
se? Verùm quia reuocande Donationis iura in  
vnâ, vt maximè, ingratitude culpâ fundari  
Iurisconsulti vestri tradunt; hanc tute vt eua-  
das, in tuâ nunc industriâ & manu, occasio-  
nisq; oblata non supino amplexu, adspirante  
quæ nunc tibi se offert diuinâ gratiâ, situm scias.  
Hanc autem Occasionis bonæ HORAM tuam,  
ne RVAT tibi, aut ruisse eam post serus gemas,  
bonam tibi imprimis Mentem, & ad Angeli-  
cam Commonitionem aures contriti & humi-  
liati cordis à Deo propitio concedi totus precor.  
Quo in voto finem facio, non euanidi affectus  
erga te & salutem tuam mei, lucubratiuncula  
huius quali quali curâ, etsi minùs ad meam vo-  
luntatem & aciem tuam accuratâ, fidem tibi  
factam volens, & factum iri confidens,

IO. HEMELARIUS.

A 5

14-

IVSTI RYCOVII GANDENSIS.

Presbyteri, Ciuis Romani,

I N

IOANNIS HEMELARII

PARÆNETICON

HVGONI GRO TIO

super carcere eius scriptum.

**C**VSTODES hominum Genij, quos dīa po-  
testas

Mortali generi vt fidos coniunxit Achates,  
Immerito aduersis squallentia pectora rebus  
Non semel eripuerunt, suo dignosque fauore  
Eripient. Horum socio molimine, GRO TII,  
Te Batavas exisse manus, cæcæque sub arcâ  
Credimus infestis saluum erupisse latebris.  
Magnum opus, ingenioque tuo & conamine  
dignum.

Tu tamen vt meritas Superis persoluere grates,  
Et Superum Regi possis, HEMELARIA scripta  
Perlege, quæ sancti Genius dictauit amoris.  
Nec tantum lege, sed memori complectere sensu.  
Sors tua sic verâ te libertate beabit,  
Sic solidum felix tua nos fortuna iuuabit.

*Psal-*

*Psalms. XCIV.*

Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.

*Psalms. XC. XI.*

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis.

A 6 SCA-



SCAZONTES GROTIANI

ad quos hoc scriptum alludit,

A D

RVMOLDVM HOGEBETIVM,

pari custodiae addictum,

in solatium scripti, sic se habebant:

**Q**vos matris alius carcer edit in lucem,  
Quis corpus animum more carceris  
vincit,

Quos morte functos terra carcer expectat,  
Numquam nimis timere carcerem debent.

H. GROTIUS.

AN.

ANGELI CVSTODIS  
A D  
HVGNEM GROTIVM  
S V P E R  
NVPERO EIVS CARCERE  
PARÆNETICON.

*Angelus loquitur.*



ARRARE fata carcerum, est mens,  
GROTIO,  
Qui nunc solutus libero exsultat  
pede;  
Ut, me docente, certiùs liber fiet.

Sed antè nexus quàm pererro dædalos,  
Qui siue mentem siue corpus impetunt,  
Stringuntque vinclo, tetrico, blando, malo,  
Laxo, fugaci, subdolo, insolubili;  
Compello, CHRISTE, te Magistrum, te inuoco,  
Qui (Verbum vt ipse Patris æternum optimi)  
Quæ nota visu, quæque sensu imperuia  
Potente VERBO condidisti TE, & tuo:  
Qui nos beati gaudiij certos, loco  
Firmasti, & hosce creditos nostræ fidei,  
Ad promerendam comparis sortem boni,  
Momenta ad æui pauca hæc, queis viuitur,

A 7

Tua

Tuæ dedisti Gratiaë innixos trabi  
 Periculoso voluier vitæ falò:  
 Imploro te, qui vita, virtus cordium,  
 Patri coæua æternaque Sapiaentia,  
 Digitus Dei es, via recta, prima veritas:  
 Me, quem dedisti Hugonis huius arbitrum,  
 Fidumque Achatem, interpretem iussi tui,  
 Reserare vera da, sequi da Grotium.

O dedicatum Palladi ac Musis caput,  
 GROTI, sacrandum aist pulchrius vero DEO;  
 Ego dux, comesque, tutor & vitæ tuæ,  
 Deo fauente, certus adiunctus tibi:  
 Qui te parentis carcere effusum extuli,  
 Originalis labe tersâ & carceris,  
 Qui vitæ ad ipsos carceres calcar fui:  
 Inscitiæque carcere agnato erutum,  
 Custode capsæ & pædagogo liberum,  
 Orbiliique carcere, & ferulæ minis:  
 Tum carceri mox Curiaë blando inditum,  
 Custodiarum & post gementum Præfidentem  
 Qui te hoc tumultu & carceratis abstuli:  
 Dein (Rotta, iacto vbi carceris repagulo,  
 Per quæque sponte vincula imposuit sibi  
 Arcet furentis iram amaram vorticis)  
 Neptuniæ qui prolis ex ergastulo  
 (Assessor vno quippe haud nexus vinculo,  
 Urbis, Senatus, litium, plebis, maris  
 Dictare iura hîc Syndicus fidus soles,  
 Ceu verna populi, Curiaëve deditus,  
 Rotamque Rottæ, callidique carcerem  
 Reserare Iuris, seu laxare & claudere).  
 Vulgatiore in carcere assessor fui:

Atque

Atque hoc nec vno, nec loci sueti aut modi:  
 (Nam singulari extra ordinem carcer datus  
 Geminus, sed ille primus in custodiam  
 Reo paratus, vsque controuersiam  
 Dum terminatam redderet sententia;  
 At alter iste totus in pœnam fuit:)  
 Téque hisce vinctum condolens custodijis,  
 Sollicitâ vt illâ, ita hac recidente exitum,  
 Hostili vtrâque, miserâ & eduxi & graui.  
 Probatus ipse tot periculis tibi  
 Mandante Domino, Nuntius quod adfero,  
 Tu vt exsequaris imperat Ius, fas petit.  
 Namque vltimo in discrimine vt scias meam  
 Operam; fuit nec mentis hîc vigor tuæ,  
 Fortuna Magni, fida consortis manus,  
 Tuæ innocentis omen aut Corneliæ,  
 Gnatae ad fugam patrem cientes paruulæ,  
 Minusque casus: Numen ipsum è Machinâ,  
 Eiusque non supina Prouidentia,  
 Me destinato, duxit & saluum extulit.

Sic administris Angelis custodibus,  
 Quæis vita præceps credita est mortalium,  
 Meminisse promptum est liberatum è carcere  
 Sodomæ nefando, & ignium horridis globis,  
 Lothum fidelem: vltoribusque fluctibus  
 Senem Noëmum cum domo atque liberis:  
 Odisque fratrum, carcere & Ioseph pium:  
 Gentem Israëlitis seruitute Aegyptiâ:  
 Lacu leonum Danielem lurido,  
 Genio administro qui fugarat & famem:  
 Sic & Susannam criminis falsi ream,  
 Ipsamque Iudith inclytam viraginem,

Babyl.

Babyloniâ & fornace tres claros viros.  
 His adde Cephæ carcerem atque vincula,  
 (Veneranda & hodie templa quæ monstrât piis)  
 Paullique Magni Barnabæque compedes;  
 Quos soluit omnes fida nostrorum manus,  
 Quæis Numen hominum credidit vitam & vias.

Metu quòd ergo ego carceris liber Stygis,  
 Nec compediti Ditis expauens dolos,  
 Securus omnis carceris dubij adfero:  
 Quod turba consors carcere in carnis gemens,  
 Exosa prauæ carcerem FIDELI, rogat:  
 Quod gens amica carcere imo è pectoris,  
 Inimica comptæ ast carceri fraudis, vouet:  
 Quod corporis qui carcerem pro te ambijt,  
 Nec Virginali carcere abscondi horruit,  
 Decémque lunis istâ in arculâ sterit;  
 Tum nec recluso Virginis claustro exijt:  
 Totúmque sese sub breuis specie hostiæ  
 Qui perfruendum contulit fidelibus,  
 Confertque in horas prò, stupenda charitas!  
 Prò prædicanda Virtus, & Sapientia!  
 Subire nec lutosâ claustra pectoris  
 Chari atque amici, sed nec indigni, ô fidem!  
 Detrectat: etsi dispari fato, necis  
 Cui nigra mens est, vitæ at vsque, cui niter:  
 Quin sub sigillo & hostium vigilum manu,  
 Breuis sepulchri carceri illatus nouo,  
 Custode nec volente (cerne in hoc tuum)  
 Signóve rupto aut ostio euasit foras,  
 Idémque victor carcere ex Erebi truci,  
 (Domitis cateruis, claustra quos mortis tenent)  
 Redux, triumphans, arduo euectus polo;

Quod

Quod ille, dico, tantus Auctor intonat,  
 Interminatur, consulit, petit, iubet:  
 Quod p̄rque auorum gesta scripta posteris,  
 Non tortuosas p̄rque s̄clorum vias,  
 Quēis vera virtus, candor & Fidei stetit,  
 Per os amicū, sacra scita per Patrum,  
 Quod per piorum ter fidum stylum aut manum  
 Docui, atque menti multus occinui tuæ;  
 Nunc versu in vno certus edico tibi:

NUPER RENATI CARCEREM ERRORIS FUGĒ,  
 Laxum, atque amœnum, sublitum fūco foris,  
 Adstrictum at intūs, iniuium, tetrum, horridum,  
 Dirum, sacrumque, olentem, inextricabilem:  
 In sese vbi Eurus, Auster, & Boreas ruunt,  
 Fremunt, rotantur, murmurāt, strident, strepunt:  
 (Namq; Aeoli antrum huic comparatū ludus est,  
 Leuisque imago, fabula, umbra, somnium)  
 Vbi ter recoctum tērque restinctum malum,  
 Virus cicutis Colchicis nocentius,  
 Non cordis animam, mentis ast iugulum petit,  
 Dum priuet ipsam, vita quæ sola est, DEO,  
 Eiusque amore, quam vocamus Gratiam.

Propriūque sensus carcerem insuper fuge  
 Angustum, iniquum, imperuium, variabilem,  
 Quem turbat ægritudo, liuor, aut amor,  
 Dolor, cupido, gaudium, metus, fauor:  
 Quem cæcat antrum quo latefcit veritas,  
 Et furua mentis nubila infixæ hoc luto:  
 Quem rara curuat edocentis copia,  
 Et iudicantis curta diligentia,  
 Censura fallax, temporisque caritas:  
 Strictura quem retundit acris luminis,

Caligea

Caliget ad quod ales armiger Iouis.  
 Quis tu, quis ipse vel Plato, aut quis Socrates,  
 Interminati lucem ad altam Spiritus,  
 Dictante quo Verbū est graphon siue agraphon?  
 Quo docta Mater verba prompsit liberis,  
 Mentēmque MENTIS, Verba quæ dedit, capit.  
 Quo consona Patrum pagina, æui & climatis  
 Conspirat omnis Veri in vnam Regulam,  
 Vibratam abundè at deuiantem neutiquam,  
 Ut rupe sumptam duriore fluctibus,  
 Gnomona petrae vt angularis optimum.  
 Neque vsque differ, quod locus, tempus, modus,  
 Diuina per me & virgula hîc offert tibi:  
 Occasionis tempus vt fulgur fugit,  
 Et HORA vitæ incerta, dum loquor, RVIT.  
 Quòd si haud seratis auribus fundo preces,  
 (Traham volentem amore, vim non inferam)  
 Mea si vereris dicta, si surdo haud cano,  
 (Sed haud cano, aut tuâ indolē noui haud probè)  
 Pergam monere, sana quæ sanatibus  
 Vt fortibus sunt, sapida quæis salus sapit,  
 Amara quamuis ceu cauendâque improbi,  
 Mali, proterui, & inquieti, & impij,  
 (Quæis fas nefasque solâ stat lubidine)  
 Holtésque veri nare suspendant truci;  
 Vt quas colit rosas sagax, calcant sues.  
 Age, sponte templi carceri sacro accidens,  
 Vbi carceris condus sedet, promus poli,  
 Et clauiger vicarius, cæli ac stygis  
 Reserare portas iussus atque claudere,  
 Dictare Iura & ad tribunal Gratia;  
 (Themidis tribunal horridum vt vitent pijs)

Quæ

Quæ lingua, mens, manûsque carcerum à fitu,  
 Ex quo parentis es repulsus vberè,  
 Traxit per annos (carcere vt vero ex eas,  
 Timeâsque nullum exinde prorsus carcerem,)   
 Haud expiare temne, de ritu pio,  
 De more prisco, déque iussu Numinis:  
 Metanœa sic te reddet ex veteri nouum,  
 Primæuam, vt anguis, sic senectam & exues.

Nec (qui tyrannus) carcerem MORIS cole,  
 Hunc dico, qui nunc sana Battaua obsidet.  
 Maiorum enim non iste Mos, sed est Nouus,  
 Odio parente natus è Superbiâ:  
 Rubens, recénsque matris impio à sinu,  
 Erebi que portis expeditus subdolè,  
 Supina petijt corda & gentem simplicem:  
 Vbi Battaua auris prisca, vix doli capax,  
 Parata falli erat, imperita vt fallere.  
 Vndena lustra, ne quid erres, non habet.  
 Namque antè notus Battauo haud cuiquã fuit,  
 Cuius parentes vidit & tuus parens,  
 Nouitque cunctos, nosse seu potuit Nouos,  
 Apostatas, fugitiuulos, votifragos,  
 Contentiosos, callidos, fictos, malos,  
 Linguâ procaces, vel rudes, dica culos,  
 Intemperantis calami, & oris improbi,  
 Merôsque ventris seruulos, meros gula,  
 Lucrique, odique, & otij, & superbiæ:  
 Liuor bonorum quos & afflârat niger:  
 Propriôque cordis stigmatè inscriptos mali,  
 Priuâque mentis sæpè compunctos notis,  
 Crebroque verbi voce damnatos sui.  
 Cuius satores miserat Sator malus,

Inimi-



Inimicus ille feminis probi ac boni,  
Agróque culto interserens zizania,  
Lolióque perdens triticum iniecto inuidus.  
Namque antè veram constat híc fatam fidem,  
Exterminatis Gentium & lucis, Dijs,  
Fractísque fanis, arulis, cultu impio,  
Pridem antè Christum constat híc notum probè,  
Iam præparatis mentium noualibus  
Laboriosâ ritè Sanctorum manu,  
Quos cura Christi misit in messem suam,  
Veri magister verba qui vitæ attulit,  
Industrios, gnauósque, amore feruidos,  
Probos, modestos, sobrios, castos, pios,  
Parète doctos, verbo & opere consonis.  
Qui & hosce falsos iam sibi præcognitos  
(Ut pelle ouinâ nempe contactos lupos)  
Stygij fatoris à manu, & pedissequos,  
Operas, ministros, seruulos, satellites,  
Satorem & ipsum hac inuidi atque hostis notâ,  
Tot antè sæclis iam suis, ne fallerent,  
Nec veri in vmbra luderent cautos mimis,  
Denuntiatos, cum futura panderet,  
Veracibus descripsit in parcemijs,  
Cauere iussit, hósque caulis pellere,  
Quos nulla stabuli recta cepit ianua,  
Odere quos & Tigris & fuluus Lacon  
Tutela pecori & fida vis pastoribus,  
Mactare natos, & vorare, & perdere,  
Et dissipare quod stetit tanti Deo:  
Quos hypocritas & ipsa clamat Veritas,  
Specièque comptâ subdolè introrsum putres.  
Mos iste prauâ creuit assuetudine,

Custode

Custode dum cessante cura intercidit:  
 Vt senticerum, caprificus, aut filix  
 Innata campis dormiente villico,  
 Vigilante sed mox eruenda stirpitus  
 Ligone siue, siue mâlis ignibus.

Namque hic dolosâ pectora ingressus viâ,  
 Innata ceu natura sedit paruulis:  
 Infusa qualis fæx recenti testulæ  
 Mordente aceto diluenda vel sale,  
 Scopisve defricanda, seu nitro graui,  
 Sophiæ quod almæ prouidum promat penu.

Sed carcer alter MORIS est pariter NOVI:  
 Aperitur iste in compitis, domibus, foris.  
 Fuge & hunc. Amœno vinculo insurgit potens,  
 Puluillus ille blandus, ah! carni nimis;  
 Dum nulla vincla, vt liberos, patitur pati,  
 Morésque laxat, stringit incautos magis,  
 Proprio ipse quemuis viuere arbitrio docens,  
 Sentire & omne quidquid in mentem cadit,  
 Proferre & omne quidquid in buccam venit,  
 Licentiosam dum vafer legem occinit:  
 Viue vt placebit, quod liber liceat tibi:  
 Priui cerebri, & contumacis imperi  
 Captos catenis raptat in præceps agens.  
 Quin nulla legum scita sacrarum ferens,  
 Nec verba MATRIS, iussa nec curans Patris  
 Dum facta dextræ liberæ, & linguæ modum,  
 Lasciuientem mentis & propriæ impetum  
 Per iusta legum frena substringi insolens  
 Queritur, negâtque dirigi sceptro, aut pedo;  
 Sentire quiduis contumax, facere & loqui,  
 Cæcus furoris carcerem haud sentit sui,

Quám-

Quámque insolenti mox graue immineat iugū.

Sic cæco amori qui semel dedit manus  
 (Roseis corollis, atque fertis floridis,  
 Quæ grata amicæ dextra struxit subdolæ,  
 Colla & lacertos vinctus & fragrans caput)  
 Libidinísque seruus infamis malæ,  
 Cupidinísque ludus, & dominæ trochus  
 Rotatur, errat, voluitur, fremit, gemit;  
 Ingenua dum se facta patrantem putat,  
 Dum liberum se iactat & iuris sui,  
 Nullam reseruat vnciam mentis bonæ,  
 Nullam relinquit vnciam iuris sibi.

Sic contumacis ingenî effrenis puer,  
 Patruî aut parentis liber effracto iugo,  
 Nugatur excors, ludit, exsultat, ruit:  
 Nec lege recti, nec pudore, nec metu  
 Manus pedésve dirigi, aut vocis modos  
 Monitu regentis ritè frenari ferens,  
 Cerebri lupatis fertur in gyrum sui,  
 Donec libido perditum in præceps agat.

At MORE PRISCO, liberos inter Dei  
 Adscriptus atque assertus, & iuris tenax,  
 Sub lege Christi viuere ingenui putat:  
 Hanc tesseram vnam libero dignam ferens,  
 Iugo suaui si illius collum induat,  
 (Illustriore vt circulo auri tortilis)  
 Si se ad parentum, liberum extollens caput,  
 Noxâ & solutus, temperet párens modos.  
 Namque est Parenti, templa qui cæli incolit,  
 Vicarius suffectus in terris Pater,  
 Patère cui iubemur ipsius vicem:  
 Est sancta Mater, sponsa quæ summi Patris,  
 Eccle.

Ecclesiæque nomen antiquum gerit:  
 Audire & hanc mandauit æternus Parens.  
 Obtemperare nec bonis gnatis graue est:  
 Vt sponte iusti carceri obsequij inditi  
 A prorsus omni vinculo exsortes agant,  
 Et liberorum iura conseruent magis:  
 Christo asserenti dum per omne crediti,  
 Nec iam timentes aucupis stygij dolos,  
 Immunitatis lauream in tuto locant.

Sic ROMA PRISCIS MORIBVS semper stetit,  
 Famamque ad astra, sceptrum per terras tulit,  
 Ritu verusto, legibus, scitis, viris:  
 Totumque, quantus orbis est, vidit suum.  
 Seruauit eadem & culmen hoc sceptri sui,  
 Quamdiu ille priscus in statu fuit rigor.  
 Iamque ista Roma moris antiqui tenax,  
 Legem fidemque proferens Euangelij,  
 Apostolorum & dogmati insistens sacro,  
 Petrique petra fulta, & hoc filium sequens,  
 Nec latum ad vnguem flectere à prisco volens,  
 Terras per omnes Imperij sceptrum sacri  
 Diffundit, alta & iura quæ accepit polo.  
 Nam MOS VETVSTVS aureus, constans, sacer,  
 Et idem & vnus à suis crepundiis,  
 Senij omnis expers floret, & stat perpetim,  
 Securus æui & fluctuantum temporum,  
 Cæloque confors vnde originem & trahit.  
 Delubra quod, clamantque muta marmora  
 Cristata crucibus, deputata altaribus,  
 Sacrata precibus ritibusque mysticis,  
 Probata & aulae cælicæ suffragijs,  
 Quæ primo ab æuo & hunc vigent vsque in diem.  
 Hunc

Hunc Willibrordi nobilis signis manus,  
 (Quem Roma misit & sacrauit Præsulem,  
 Gentem vt ferocem barbarâque moribus,  
 Fanis Deorum inaniûmque dirutis  
 Iam mitigandam, redditam Christi sacris  
 Ad læta cæli destinaret pascua)  
 Eiûsque Suada spiritu & linguâ potens,  
 Illuminato cæcitatîs carcere,  
 Ac veritatîs ritè sublatâ face  
 Panxit, tulitque huc viuudum, superstitem:  
 Iuuenta cuius (instar eius alitis,  
 Qui rex volantum est & minister fulminis)  
 Serena, læta, pulchriôrque tempore,  
 Qualîsve Phœnix surgit à thalamo rogi.  
 Hunc, dico, morem, me signante & auspice,  
 Iam nunc require, & irretortus excole:  
 Non alia, cælum scandere vt queas, via est.  
 Sed nec morare, neu remitte in crastinum.  
 Audis vocantem? ne, caue, aure saxea,  
 Atlanticîsque surdiore cautibus  
 Sacrum repellas murmur instantis Dei,  
 Mei monentis, vellicantis te & tui.  
 Sic te beabit certa, & imo è pectore  
 Gustata nondum gaudiî serenitas,  
 De puriore mentis exsultans statu,  
 De dulciore gratiæ fluens sinu.  
 Quin promptè obaudi, vt contumax non audias.  
 Ne pôst ego idem (nunc amicus, angelus,  
 Custos, magister, scipio, calcar, pedum,  
 Rector, minister, arbiter, tutor, parens,  
 Lucerna, asylum, regula, anchora & sacra)  
 Spretus, repulsus, iustam ad iram concitus,

Cogar

Cogar diem ad locumque decretorium  
 Deferre causam, teque contra dicere;  
 Et obstinatae mentis inscriptum notis  
 Occasionis arguam spretae reum:  
 Iudex ubi, actor, testis idem & praesidet:  
 Cuius tribunal summum, ineluctabile,  
 De reque summâ, & extimendum ut maxime est.  
 Parere disce, nemo cui paret nimis;  
 Timere disce, nemo quod timeret satis;  
 Amare disce, nemo quod prensat satis;  
 Precariae ut post carceris vitae exitu,  
 Periculoso carcere à mundi integrum,  
 Dein restitutum carcere è terrae nouum  
 Non ullus ultra carcerum metus premat:  
 Sed carcerem obturandum aheni imperuio  
 Spectes beatâ celsus è speculâ poli  
 Securus, & iam gaudij certus tui,  
 Perenniterque MAXIMUM Magnus canas:  
 Aurisque cantu (qui Ordinis nostri) expleas,  
 Meique consors caelico adstans throno,  
 Intelligas quae dignitas sit Angelis,  
 Et quam sit infinita maiestas Deo,  
 Eo & fruisi quam sit immensum bonum.  
 Sic me beare gaudio gratus nouo,  
 Caeli & serenos incolas memores tui:  
 Sic te beare pace quam gaudent pij,  
 (Quam turbida isthic massa carnis non capit)  
 Concarcerati pectora & gregis potes,  
 Quem charitatis nexus adstringet tibi.  
 Sed altiora haec ut Fide amplecti queas,  
 Quae firmat Orthodoxa Doctorum Patrum  
 Schola, Martyrum constantia, & promiscuus

B Confen-

Consensus æui atque orbis vsque in hanc diem,  
 (Vnde & τὸ κρηθ' ὄλας nomen eductum liquet)  
 Ceu carceri submitte colla Ecclesiæ:  
 Vbi deuiante errore sensus libera  
 Mens, atque fulta firmâ & infractâ fide  
 Assentiatur hisce quæ fert Veritas,  
 Illa illa prima, fallere vt quæ nec cupit,  
 Falli nec ipsa sic potest seu ludier.  
 Quæ tradit explanata Sanctorum via,  
 Paradoxâ quamuis, quid mirum? atq; imperuia,  
 Stupendâque ipsis sensibus parent tuis.  
 Mercede namque digna non foret Fides,  
 Ni Veritatis deuiare nesciæ  
 Daret catenis mentis obtusæ manus,  
 Caligo quam non vna transuersam rapit,  
 A lacte quam non vnus obcæcat stupor.  
 Sed Matris hæc sunt vincla grata liberis.  
 Verùm est & alter carcer (hunc vobis licet  
 Visum haud, benigni cura construxit Patris)  
 Clarus, serenus, instar & cæli tenens.  
 Quamquam iste carcer nunc quidem haud pa-  
 tet viro,  
 Quem ritè clausus coniugî carcer ligat,  
 Quamdiu ipsa consors sortis & thalami negat,  
 Similisque nexu carceris claudi abnuens  
 Inuita solui comparis iugo haud potest,  
 Nec mortis vsque carceri impingens pedem  
 Hunc pristino auctum iure claustro liberat,  
 Adamantinum quod vsque ad exitus diem  
 Carcer sepulchri soluere est solus potis.  
 Ad magna natis, ynde cognomen tibi,  
 Dicata claustra hæc prouidus faber Deus,

Sele-

Selectiori struxit vt gregi suo:  
 His, qui fugacem hunc puluerem pede obterunt  
 Fastidiosi, seruiant soli vt Deo,  
 Auctori & (omne quod stat & solum & salum)  
 Vinculum vt dicatos semper alliget nouum:  
 Vbi velle eorum nusquam dissentiens  
 Tenace amoris compede obstringat sui.  
 Amor iste licitis nuntium mittit bonis,  
 Seseque Christo donat, & reddit Deo:  
 Dum vota sacra libero ore nuncupans,  
 Dicansque corde, iure se sui abdicat,  
 Totumque quantus ipse est, quantum & possidet,  
 Cor, corpus, & quæ sortis appellant bona,  
 (Tribus hisce constant, iure quæ priuo tenet)  
 Verace voto, sponsione liberâ,  
 Cogente nullo destinât volens Patrî:  
 Et antè liber, iuris & spontis suæ,  
 Nunc seruus vltro parer, & corpus domat,  
 Cæcos coercens impetus libidinum,  
 Nihilque priuum ducit aut seruat suum:  
 Sui profusus, gratus vt sit Numini,  
 Celsaque charitate sponte prodigus.  
 Pro censu & omni gratiam putans Dei,  
 Cælo petendam spæque cognitam & fide:  
 Citimique quidquid est orbis fastidians,  
 Mundana cuncta spernit, vt pondus grauens,  
 Vt erigenda colla deprimens onus:  
 Ad astra cæli se rotat suspiriis:  
 Sensu atque linguâ sæpè sursum promicat:  
 Tum corda & ora, & impetum mentis bonæ  
 Eo remittit vnde originem trahit.  
 Precario inquilinus, & siue hospitis,



Seu more viuens transeuntis exulis,  
 Patriam ad beatam, quæ suprâ est, se comparat.  
 Atque hisce amorem Numinis dictis ciet:  
 Quodcumque dico, vile paruulum & licet,  
 Tuum id, Creator, primitus totum fuit.  
 Donasti enim hisce sponte seruulum omnibus,  
 Et immerentem: meque plasmasti tuum,  
 Quem iam redono cum penu & peculio.  
 Habeto gratum, si quid hic mei fiet.  
 Quod si iste census Angeli ad modum foret,  
 Quam sponte totum sisterem & libens tibi!  
 Atque hocce grato subditæ mentis sono,  
 Laxata dextra perbenigni Numinis,  
 Quem sic notauit prodigum rei, & sui,  
 Augustioris mittit in sortem boni;  
 Celsisq; cæli destinat regnis volens.  
 Atque hinc Deo ipse gratior, condit polo  
 (Quò nulla penetrat vis latronis aut dolus,  
 Tineæque morsus, vel rubigo æruginis)  
 Gazas beatas gaudij superstitis,  
 Pios manentis centuplo cum scœnore,  
 Quod nulla seculi dissipet fluens dies,  
 Quo post fruatur hacce perfunctus viâ.  
 Sic si illa vestra, amor tuus, Cornelia  
 Simplex, tenella, oris probi virguncula  
 Se sponte nunc ad exulis sistens genu,  
 Micante ocello, voce, gestu, blandulis,  
 Dextrâque dextram, & osculo inuolans genas,  
 Roseisq; spirans cinnamum labellulis  
 Parentis ora mulceat carum & caput:  
 Hederaceique vinculo affectus tenax,  
 Pandens lacertos illices cordis sui,

Prædul.

Prædulce pondus pendeat collo tuo:  
 Dein mente amorem ventilans linguâ exprimēs  
 In hæcce verba soluat os pulchrum tibi:  
 Dilecte genitor, luctui ponens modum,  
 Frontem serenam nube pulsâ exporrige:  
 Animo otioso pelle, mi, curas, parens:  
 Adsum ipsa prompti dona subsidi ferens,  
 Dictoque caram ventre pando testulam  
 (Quâ more prisco condier numi solent)  
 Hilarique mente, & imperante nemine,  
 Dextrâ haud tenaci frangat ad patris pedes,  
 Atque hosce gratos insuper iungat sonos:  
 En quidquid olim parca seruauit manus,  
 Scrinive claustro, aut arculæ arcanae angulo,  
 Nunc hacce testâ hoc omne collectum probè  
 Nihil morata confero oblatum tibi,  
 Fruendum, habendum, & possidendum liberè.  
 Solare te non censu, at affectu tuæ:  
 Si plura haberem, siue queis diues Tagus,  
 Pactolus aut arenulis ditat mare,  
 Opesive quas formica seruat Indica;  
 Quodcumque id esset, seu preti quantilibet,  
 Id omne, genitor, protinus sinum ad tuum  
 Cum corde toto funderem gaudens libens:  
 Sed grata nunc sint paucula hæc saltem precor.  
 Nonne adferens, pusilla quamuis, hæc patri  
 Mereatur ipsa, gnesia ut soboles tua,  
 Post dulcis oris fixa casta basia,  
 Amore amanti reddito, heres scribier,  
 Tuæque mentis omnem habere paginam?  
 At longè amanti laxior manus est DEI,  
 Quin sponte & hosce nil petentes hinc sibi

Locupletiore diuitat censu Optimus;  
 Dignosque censens regijs poli bonis,  
 Non dona rerum, primus ipse quæ dedit,  
 Sed sensa cordis censum amoris æstimans,  
 Quæque ipsa per se sunt nimis minutula,  
 Dum velle spectat, pensitans magni satis,  
 Ex asse totâ scribit heredes sibi.

Hæc liberorum, vt carior quædam Deo  
 Secreta turba, carcerem hunc sacrum incolit.  
 Quin ergo & iste hîc aureis clathris nitens,  
 (Non ille captos, sponte at inclusos suâ  
 Sacris volones alligans ergastulis)  
 Ignoratus antè, fortè & inuisus tibi  
 Descriptus vt sit pauculis, faxo, notis,  
 Si non recusas, iamque respondes mihi;  
 Spectare fas sit, si potiri non datur;  
 Amare liceat, si fruisi non licet.

Faber ipse summus, filius dictus Fabri  
 Magni & minuti, consili sator boni, hæc  
 Qui vincla cudit, legis haud, sed arbitri;  
 Adesto, Christe, Maximi proles DEI,  
 Laudes sacra prædicemus CARCERIS,  
 (Dixere prisca CLAVSTRA seu COENOBIA:)  
 Carcer repostas mentibus profert opes,  
 Sanctosque cultus incolis sui refert:  
 Palmas virorum, virginumque lilia,  
 Rosasque Martyrum, vt charisma Spiritus.  
 Non desit isthuc carceri altum gaudium,  
 Sanctisque mixta commodis iucunditas.  
 Aquæ silentis nimbulus lambit genas,  
 Sulcòque lapsus irrigat cordis fatâ.  
 Virtus nitescit discolori germine,

Pingitque mentem gemmeis honoribus.  
 Gemitus susurro murmurant grati leui,  
 Dum summa cæli, & hinc novos rores petunt.  
 Mens raptâ sursum coniuges artus leuat,  
 Sibi que inumbrat terra quod celsi tenet:  
 Sperata profert horror antri umbracula,  
 Prohibetque Mundi, & feruidæ carnis mihas.  
 Genij supernæ cælicos miscet modos,  
 Vilisque curas cantibus pellunt suis.  
 Carcer beatus allicit, pascit, tenet:  
 Animæ gementi demit angores graues,  
 Menti vigorem reddit, & sursum rotat:  
 Refert labori inæstimandam gratiam,  
 Tribuit colenti sempiternum gaudium.

Sed sermo noster terminum hîc figens sibi,  
 Benè ominati sistet in verbî gradu:  
 Modestiam ne carcere excurrens procul,  
 Concinna fidæ claustra linguæ deferat.

Summâ negotiî in pauca verba vt contraham,  
 Ad te reflecto, carcerem, ô Groti, meæ  
 Curæ & laboris, circulumque industriæ,  
 Non negligendum, ô, quale de triuio, caput.  
 Hoc restat vnum, quando discussus, satis  
 Non peruicaci, deuicæ mentis vapor,  
 De lacte sumptus, moris & fuligine;  
 (Venialis error dum grauem citra stetit  
 Culpam, improbi fastusve pertinaciam:  
 Dum nec docenti, recta quæ tradit Fides,  
 Ecclesiæ petulcus impegit pedem:  
 Cauere iussis subdolis Sirenibus  
 Proteruiore adhæsit aut lubentiâ:  
 Poclisyve Circes præuidens se proluit,

Spreto furoris ingruentis nuntio;)
   
 Suspende gressum: siste te, siste, ô, precor!
   
 Ne per recline spontè libratus ruas.
   
 Fouea ista præceps tartari ad centrum patet:
   
 Patet lacuna hæc, quæ dedit tantos neci,
   
 Neci, heu, tremendæ, horrendæ, inexplabili.
   
 Quin siste cursum, sustine, in clamo, & redi.
   
 Iamq; haud moratus, HORAE & obseruâs TVAE,
   
 (Quam ut ruere scisti, ne ruisse post gemas,
   
 Hanc esse signo, quâ tibi ista ego occino,
   
 Quæ per minuta & puncta verbi nunc fuit)
   
 AVDI, atque, quò Dux cælitus datus tibi,
   
 Et certus auctor dirigo, AVDETO sequi.
   
 Quod ni! sed omen dissipet bonus Deus.
   
 Qui ut antè largus, nunc tamen spectat polo,
   
 Mentem atq; dextrâ nunc magè obseruat tuam,
   
 Quando hanc & illam quò lubet tendas licet.
   
 Armat preces vox Angeli, virtus Dei.
   
 Quod Angeli & Custodis est, hoc nuntio,
   
 (Vtrasque partes hæc hora ut tuear petit)
   
 Quod est amantis, nil moratus arguo;
   
 Sat agentis est quod prouidus canto tibi.
   
 Occasione tu haud supinus in bonâ
   
 Redde hanc merenti pro tot officijs fidem.
   
 Agnosce verum; quo solo est opus, peto:
   
 Agnosce certum; quod iubet Deus, peto:
   
 Agnosce amicum; quod tuam est in rem, peto.
   
 Geminat precésque non satis fidens amor.
   
 SECEDE TVRBA, QVAE NOVAT, quæ subdola est:
   
 Ne te periculis inscium inuoluet suis.
   
 Inuictam ut arcem carcerem veri occupa
   
 Solidi, perennis, pristini, primi, sacri,

Magni,

Magni, vetusti, immobilis, caelo dati.  
 Hic certum asylum, reddere hic tutū, integrum,  
 Securum ab hoste, solus & saluum potest.  
 Cur immerentem, ingratis, damnes, miser  
 Non destinatum compedi pedem nouo?  
 Ut quid Nouantum carceri atro te implices?  
 Quæ cæcat illos, caussa non subest tibi.

Inter Ministros principes sectæ nouæ  
 Noui, atque digito, certus, ostendam probè,  
 Quos aut lubido, mentis aut cæcæ furor,  
 Dolor, cupido, sacra quos auri fames,  
 Sitisve famæ, & appetitus gloriæ,  
 Quos impetigo scabra rixandi, impotens  
 Cacoëthes atque iurgij auersos tulit:  
 Quos ira, luxus, corque non patiens iugi,  
 Nec imperantis regulæ aut legis ferens:  
 Votique rupti læua conscientia,  
 Pœnæque terror, pœnitentiæ aut timor:  
 Quos spes rapinæ diuitum impendens bonis,  
 (Qui munus & maxime adscripti sacris)  
 Priui nihil dum scrinia aut loculi tenent;  
 Cassæque mentis egit obliquos furor:  
 Solutior quos vita, ventri & inguini  
 Dicata, fabros dogmatis fecit noui:  
 Quos lucri odor, vitæ pudor, proteruia,  
 Quos inquieti pectoris vibex malus  
 (Nemesis flagello iusta dum furdo ingruit)  
 Quos impotentis spiritus superbiæ,  
 Tumidique carcer cordis inflatos tenens,  
 Et, verbo in vno, mens mala atque animus malus  
 Prærupta in ista nempe transuersos dedit.  
 Quid inter istos tu recens locum occupes?

Quin tu modestus, integer, voti boni,  
 Rectaque mentis, frugique, recti appetens,  
 O sorque pravi nominis, moris, iugi,  
 Sociare priscis, candidis, firmis, bonis.  
 Quod imperare ius mihi atque fas, rogo.  
 Rogatque amicus, scripta cuius hæc manu,  
 Exalciati appensa trutinam ad ingeni  
 Sint inficeta gratiis licet tuis.  
 Stylum ille sumpsit, me monente, concitus.  
 Amore HUGONIS, non amore GROTII.  
 Te CHRISTVS, ego te, teque amicus obsecrat,  
 Monetque fidus: hoc vouens tibi ac sibi,  
 (Quando hoc in vno tanta ludit alea,  
 Per secla secli vt optimè aut sit pessimè)  
 Quandoque socio vt perfruatur Grotio,  
 Cum fas erit satiarier vultu Dei.  
 Redde hanc monenti pleniorẽ gratiam,  
 Groti, pares tibi omniforme vt gaudium,  
 Tunc carcer ipse mirus vt, capax Dei.  
 Sed iam tu, onuste dotibus multis, mea  
 Quæ cura struxit, largiente Numine,  
 Caue, otiosa siue inania hæc putes.  
 Neu dicta (spissioris quæ fili adfero,  
 Haud scripta casu at destinato examine,  
 Nec prurientum pabulo breui aurium  
 Concinna promens) obuio auertas pede,  
 Siue aure laxâ & perfluenta transeas;  
 Quæ larga amici cura pro captu dedit:  
 Putesque inani hinc pascier mentem sono;  
 Protestor ipse parte me functum meâ.  
 Tuæ salutis, muneris nostri memor  
 Monui, rogavi, quod tuam eni in rem attuli.

Quæ

Quæ plura possum, quando cogere est nefas?  
 Cohortor, insto, interminor, iubeo, obsecro:  
 Tu cura, inanis ne sit hic labor tibi,  
 Cassusque amico, euanidus ne sit mihi.  
 Nec otiosè (cùm sit otii copia,  
 Me dimouente quidquid obstaculi fuit,  
 Parata, fracto carcerum nexu omnium)  
 Transi, quo in vno finis est situs tui,  
 Quo rerum in vno vertitur cardo, & salus.

Faue ô, cui omnis lectioris seu luti,  
 Seu vilioris massa dextræ in carcere est:  
 Qui prompta cerni, quæque visu imperuia  
 Non carceratus carcere includis tuo;  
 Lutum tibi hocce in vas honoris assere,  
 Finge, & refinge, tempera, excoque, ex polle:  
 Tibi, Grotio vt vas gratius nullum fiet.  
 Luteum per istud, figule, vas te deprecor,  
 (Vas cuius infinitus exsurgit valor,  
 Vas sordet ad quod tota mundi machina)  
 Quo, carcere vt, te passus es circumdari,  
 Aevi ô locique interminande terminis,  
 Amore cocto, purpurato sanguine,  
 Candore puro, & emicante lumine,  
 De virginali testulâ assumptum tibi,  
 Quod cælo & astris clarius, perendie  
 Reparandum amoris hæcce confregit dies:

Nam luce eadem hac, omen vt notem sacrum,  
 (Sedena at antè deuoluta sæcula  
 Quaterna lustra & anni circulum vnus)  
 Trieterides post vndecim cursus tui,  
 Occasum amarum es passus auctor luminis,  
 (Phœbo obtegente vultum ad hoc spectaculi)



Pacis serenum vt funderes iubar piis.  
 Quâ luce Iani nunc recluso carcere,  
 Fractoque portæ cardine & repagulis  
 Mars dirus, armis Belgium accendens suis,  
 Ferro recuso cœpit insolescere:  
 Bis seni & anni vincta corda fœdere  
 Diuulfit amens, in gemella viscera  
 Mucrone stricto abominata matribus  
 Internecive bella vindictæ serens:  
 Heu, iunge dextras, parcito ô, tanto hoc die.  
 Iam, Christe, fusi sanguinis nostri satur,  
 Iam, Christe, fusi sanguinis memor tui.

Patriæ sibi que & posteris pacem perens,  
 Dei que honori largius factum volens  
 Vouebat, & pangebatur hæc Grotio:  
 Non dicis ergo, fonte at imo è pectoris,  
 Popularis illi, amicus, & magni æstimans:  
 Speransque vinclo sanctiore stringier,  
 Et sacro ouili, vt carcere vno, hîc claudier,  
 Quò celsa cæli templa post iunctos beent,  
 Ortum Hagienfis, incolatu Antuerpius,  
 Tholum ad sacratum VIRGINI MATRI DEI  
 CHRISTO dicatus Gratianus Cælius.

LAVS DEO, VIRGINIQUE MATRI.

EIVS-

EIVSDEM HEMELARII  
 A D  
 EVMDEM GROTIUM  
 EPIGRAMMA  
 SVPER SCITO EIVS SCITO  
 RVIT HORA.

**H**ORA RVIT, scisti. Bellè hoc, vt cetera;  
 nempe hinc  
 Vitæ vt præcipitis sim memor, inde breuis.  
 Num quid plus latet hoc curti sub cortice dicti?  
 Vt credam, ingenij vis monet alta tui.  
 Fors meminisse doces: multos quia mobilis hora  
 Præcipitat, ne nos HORA sinistra RVAT.  
 Quin præfaga magis mihi mēs tua visa fuisse est,  
 Sera vides multos quod Metanœa premat:  
 Hoc canis ergo; HORAM visam tibi sæpè RVISSE.  
 Multis, & multos: ne mihi, meque ruat.  
 Verùm eadem hæc tibi reddit amor: Dum gratia  
 Christi  
 Oblata est, multis hora beata ruit.  
 Ingrati ergo hodie facinus, GROTI, ipse caueto,  
 Ne neglecta tibi hæc gratia teque ruat.

A L I V D.  
H O D I E , C R A S S E R V M .

**H** O R A R V I T , G r o t i , p r æ c e p s i q u e o c c a s i o s  
c u r s u m  
C r a s s e r u m e r r a n t i f l e c t e r e , f l e c t e h o d i e :  
Q u o d s u p e r e s t v i t æ , q u i a s p e s i n c e r t a f u t u r i ;  
C r a s s e r u m D o m i n o v i u e r e , v i u e h o d i e :  
Q u æ m o d o f a c t a t i b i v e l l e s , n e g l e c t a d o l e r e s ,  
Q u o t i b i c e r t a s a l u s c o n s t e t , a g a s h o d i e .



B O N A V I T A  
D V M D I F F E R T V R  
P E R I T .

I N

39

EIVSDEM EPIGRAMMATA  
I N  
ARCAM LIGNEAM  
HVGONIS GROTIÆ  
ASSERTRICEM.

**D**VRATEI memoratur equi texisse sub aluo  
Graugenas, fraudum in Troas fabricator  
Epeüs.

Machina at hæc quãuis proceres celasse feratur,  
Clarior illa tamen mihi nobiliórque videtur  
Venturis celebranda viris, quæ audace reperto  
ARCA virum texit, quæ GROTI condidit artus.  
Spirantis, dominum quæ tristibus extulit antris,  
Custodesque manus, custodum innixa lacertis,  
Secreti & magni custodia certa fefellit.  
Qui dubitat, mecû capsam componat vtramque.  
Attulit illa dolos infida, hæc fida salutem.  
Illa hostes inuexit, at hæc euexit amicum.  
Matribus Iliacis pestis fuit illa viriisque,  
Hæc domino, vxori, & gnatis tutela salutisque.  
Illa dedit ferro ac flammâ grassante ruinam  
Imperio atque vrbi, Priami bustumque reliquit.  
Securis habitare lupis catulisque ferarum:  
Hæc, ne mens traheret Groti corpusve ruinam,  
Ingeniumque viri obscuro marcesceret antro,  
Et miserè infami latitaret in arce sepultum,  
Tum (quod erit, simul vt radi) strictura superni  
Accedet, quem sollicitant pia vota bonorum)

Ne

Ne secli sorderet Honor, dignissimus annis,  
 Ne tantò ante diem dextrâ demessus iniquâ  
 Hosti ludibrium, luctum deberet amicis,  
 Subsidium vna fuit, sacra anchora, & ara salutis.  
 Quin etiam noua si liceat conferre vetustis,  
 Herôas olim quæ prima per æquora vexit,  
 Cuius Fama locum cælestibus addidit astris,  
 Non mihi nobilior posthac memorabitur Argo:  
 Non quæ prima ratis cursu complectier orbem,  
 Magellane tibi intrepido noua dum fretu pandit,  
 Ausa fuit, cui condignum Viçtoria nomen  
 Et dedit, & memores iussit celebrare nepotes.  
 Vna mihi ante alias semper, monumenta So-  
 phorum  
 Quæ tam sæpè tulit, quæ docti arcana magistri  
 Haud seruare rudis pridem, pòst condidit ipsum,  
 (Tunc etiam, in magno sed pectore, bibliotheca)  
 Incolumem & certis euexit fida periclis,  
 Depositi magni cultos celebrabitur ARCA.

#### ALIUD IN EAMDEM.

QVÆ genus humanum, & mortalia secla  
 animantum  
 Semine in exiguo fatalibus extulit vndis  
 (Cùm Themis atq; atrox ter-magni Numinis ira  
 Omne tuum, Proteû, pecus altos visere montes  
 Compulit, & pavidas natitare per equora damas)  
 Arca fuit, mundi instar habens, dum cetera victor  
 Neptunus vasto sepeliret gurgite ponti.  
 Quæ modo *Grotiaden* miserandi carceris antro  
 Eductum in dias prouexit luminis oras,

Arca

Arcta licet, fuit *A R C A* capax, nec pondere magno  
 Succubuit, veluti sub iniquo fasce viator,  
 Ingenuitve premi. clari quin sæpè labores  
 Ingenij, Doctorum & opes perferre fidelis,  
 Et domino cultas portare assueta tabellas;  
 Illius extremum mox ad selecta laborem  
 (Si ligno quis sensus inest) concepit amorem  
 Prædulcis famæ, & celebranda volare petiuit  
 Docta per ora virum, monstrari, & dici; *Hæc est.*  
 Promptior ergo ipsum, quàm, vt pridem, ferre  
 libellos,  
 Dum textit non pressit herum, non panda, cre-  
 pante  
 Prodidit, ast fidas hilarem traduxit in oras,  
 Optataque diu mox libertate beavit.  
 Dignam itaq; ad feros nomen transferre nepotes  
 Versibus æternis clari celebrate Poëtæ.

### A L I V D.

**P** E L L A E T iuuenis (cui vasti ob cordis hiatum  
 Immensamque sitim laudis, sceptri atque  
 triumpho,  
 Ex populi palpo *M A G N I* cognomen adhefit)  
 Dum nimis angusto querit de limite mundi,  
 Terra haud visa capax fuit; ast (Babylone sepultum  
 Sex septemve pedum tenuis dum continet arca)  
 Carceris ipse atri tenebris adscriptus in æuum  
 Parte sui, atque alia manes detrusus ad imos,  
 Iamque suis oculis vilis, nimiumque pusillus  
 Vota hominum quantilla sient, quam vana fatetur.  
*Hugoni* (quem stirps, gentilis linguaque; *M A G N I*  
 Signa-

Signauit titulo, nec tanti nominis omen  
 Permisit vacuum) postquam illum carceris antro  
 Infami hostilis sepelisset factio turbæ,  
 Quattuor *A R C A* pedum vitam, famam, atque  
 salutem

Reddidit incluso (fuit huius prouida consors  
 Femina dux facti) quem pridem & perdere liuor  
 Gestierat, frustra patriæ dum iura vocantem  
 Claustrorum tenebris damnauerat atque catenis,  
 Vexatum in tristi diris custodibus arce;  
 Maiorem ipsa sibi lætisq̃ue remisit amicis.

Magnū illum in viuis detexerat arca pusillum:  
 Damnatū hunc, capitis ciuili & morte minutum  
 Complexa Arca breuis tum libertate beaur,  
 Tum Famæ immensis sublimem sustulit alis.  
 Arcam igitur si quis rectè librārit vtramque;  
 Quantum surgenti concedit subruta famæ,  
 Quantum sol oriens potior fugientibus astris,  
 Vita redux morte est, & cæco carcere cælum:  
 Et quantum tenebris præstant noua lumina, dicet.  
*Grotiada tantum Pellai cedere & Arcam.*



CENSURA.

**A**NGELICVM hoc Paraneicon Reuerendi Domini Ioannis Hemelarij Canonici Cath. Eccl. Antuerpiensis super Hugonis Grotij carcere, spirans doctrinam & charitatem veram, nullatenus carceri includi, sed ad omnium manus diffundi dilatariq; dignum: quare publico bono in lucem edi poterit. Datum Antuerpie, hac XXVII. Maij, Anno salutis M. DC. XXI.

Zegerus van Hontsum, Canon.  
& Pœnitent. Antuerpiensis,  
nec non librorum Censor.

SVM-



SVMMA PRIVILEGII.

**A**LBERTI & ISABELLAE CLARAE  
EVGENIAE, Archiducum Austriae, Du-  
cum Burgundiae, Brabantiae, &c. Serenissimorum  
Belgicae Principum Privilegio cautum est, ne-  
quis, *Angeli Custodis ad Hugonem Grotium  
Paraneticon, exceptum & publicatum à Ioanne  
Hemelario Hagiensi, Canonico Ecclesia Cathe-  
dralis Antuerpiensis*, præter Balthazaris Moreti  
Typographi Antuerpiensis voluntatem intra  
sexennium imprimat, aut alibi impressum in  
has Inferioris Germaniae ditiones importet,  
venalève habeat. Qui secus faxit, confiscatio-  
ne librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti  
latius patet in litteris datis Bruxellæ, xvii. Ju-  
nij, M. DC. XXI.

Signat


*Steenhuysse.*

ANTVERPIAE,  
EX OFFICINA PLANTINIANA  
BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXI.

vi





E













Th  
6025



